



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Solemnitas Nuptialis

AB

*Ornatissimo, Humanissimo, Flo-*  
*rentissimoq;*

J U V E N E

DN. CHRISTIANO-AUGUSTO

CHÆRICIO LL. Studioso.

DN. BARTHOLOMAEI CHÆRICII J.U.D.

Et Illustris. Princip. Anhaltinorum Cancel-  
larii quondam graviss.

FILIO

*Matrimonio sibi jungente*

Lectissimam pudicissimamq; Virginem

CATHARINAM

DN. LAMPERTI GUTJARI

pharmacopolæ & civis

primarii

FILIAM

*Natu maximam Serveda 27. Julii Anno*

*Cl. J.C. XIIX. Celebrata.*

Descripta

à

JOACHIMO FLEMINGO

ANHALDINO

*Typis Zachariae Dörfferi.*

ANNO M. DC. XVIII.


196.

1624

107  
VOTVM.

**V**ita, Salus, Soboles, tria sunt optanda maritis,  
Sunt tria dona DEI, Vita, Salus, Soboles.  
Vita DEI donum est, & quidquid postulat ejus  
Ufus, id à Domini sitq; fluitq; manu  
Prorogat huic, illi minuit vice tempora versa,  
Pauperiem dat huic, dat tibi divitias.  
Nos serimus, nos plantamus, plantata rigamus,  
A solo veniunt sed bona cuncta DEO.  
Viribus humanis, humano rrbore si quid  
Est factum, factum est omne iuvante DEO.  
Recta valetudo nullis adscribitur herbis,  
Hanc tribuat Medici nec sibi cura boni.  
Est medium Medicus bonus, est medium herba, supremus  
Herba sed & Medicus nil sine dante valent.  
Quis cedo vel summa sibi dona futura salutis  
Largâ operum tribuat spondeat atq; manu  
Omnia cum mala sint, qua mente repostâ tenemus,  
Omnia qua facimus, sint nisi prava nihil.  
Sic quoq; non proprii Soboles virtute creatur  
Semini, est sobolis prabitor ipse DEUS.  
Prabitor ipse DEUS sobolis, dat nempe timentis  
Ipse sui, lecti pignora, dona DEI.  
Dona Dei soboles quod sit, restatur Isacum  
Abrahæ conjux Sara precatâ suum.  
Sponse quid optari possit felicius ergo  
Conspicor haut tibi, quam Vita, Salus, Soboles.

J. F. A.



## SOLEMNITAS NUPTI- A L I S.

**E**Rgo propinquorum crebro de funere festa  
Huc dilata tori tandem post tristia Phæbo  
Nubila, Chæricius noster, referente serenum  
Sidus, ad optatum gestit perducere finem.  
Convenit ergo novos mihi carmina scribere Thesco  
Huicce meo meritò tantos gratantia honores.  
Materiam sed proposito quæ suggerat aptam.  
Res nostro, ducat qui carminis ordo novellis  
Gratantem sponsis, mihi dicite, dicite Musæ.  
Num vanæ dicam Cypridos spectacula, nostræ  
Apta sat ætati, casti vel nempe jocosos  
Conjugii tactus? licitosq; jugalis amores  
Lecti? quid sit amor nescit mea Musa jugalis,  
Nescia conjugii, nullos experta calores.  
Materies fuerit vel sanctio prima verendi  
Conjugii? Moses docet hanc. Laudesve novellæ  
Sponsæ cōmemorem vel splendida dona? patefcunt.  
Neu tamen officio videar non functus amici,  
Aut nostræ oblitus fidei, describere metro  
Adgrediar tenui, Musis comitantibus, ipsam

A 2

Conju-

Conjugii pompam, festi faciemq; parati.  
Lucifero cæcas noctis solvente tenebras  
Et nitidum relegente diem, mediumq; tenente  
Fermè Sole Polum, pulsatur nola, vocati  
Vestibus en alii pergunt properanter amicti,  
Occlusas arcis alii revocare recentes  
Incipiunt demum vestes, mittuntq; puellæ  
Hac illac famulas & multa negotia fingunt,  
Conficiuntq; sibi pulcras solerte corollas  
Pollice, vel pulcro componunt ordine crines,  
Viribus & totis pulcerrima quæq; videri  
Incumbit, reliquasq; cupit superare superbo  
Corporis ornatu & capitis vultûsq; decoro.  
Ædes jam tentat nova Sponsa subire jugales  
Parte ab utrâq; suis Paranympis cincta, lacertis  
Splendentes violasq; rofasq; gerentibus auro.  
Obvius exhibat cætu comitatus honesto  
Cui Sponsus, gestans gemmis auroq; coronam  
Splendentem, Sponsus pulcro vestitus amictu,  
Atq; propinquantem vultu & sermone modesto  
Suaviter excipiens Sponsam comitesq; sequentes.  
Conglomerant reliqui bini terniq; vocati  
Cum senibus juvenes cum matribus atq; puellæ.  
Quin Sponsus mittit, videant cur ille moretur,  
Alter adest etiam, post quem venit alter & alter.  
Deniq; vectus equis nostri Legatus ab Aulâ  
Principis illustri magnus succedit, eundem

Submis

Submissè excipiunt, Legantis & instat honorant  
Principis, illustri Sponsi gaudentq; favore.

Jamq; excelsa novi magno comitante triumpho  
Templa petunt Sponsi, quò conjungantur ad aras  
Legitimo ritu, Divis & vota ferantur  
Felici pro conjugio lectoq; ferace.

Legato illustri parte hac stipatus, ab illa  
Fratre suo Sponsus germano pergit ad aedes  
Saeras, ornatu preciosus, & ense superbo  
Accinctus, claro digiti Diademate fulgent.  
Hunc sequitur Procerum Magnatumq; ordo, decoro  
Agmine, post cives, juvenes, studiosaq; pubes.

Quis ( nisi vel toto miserandus in aethere notus  
Illustris luctus nuper renuisset ) ab ipsa  
Fronte praere chorus debebat Musicus, auras  
Instrumentorum sonitu & clangore tubarum  
Discutiente, viris semper tatarantibus ante,  
Dumq; ingressus erat Sponsus comitante utervâ  
Quos invitârat, sacrasq; adscenderat aras,  
Principis ecce tamen bonitate favente canuntur  
Quadruplici Psaltis divina Hymeneia voce.

Ecce puellarum mox splendida turba superbo  
Incessu veniunt ( quàm delectabile visu ! )  
Heic tibi quid referam praecelsae frontis honores ?  
Quid memorem cultus ? pendentia munera collis ?  
Quid teneris gemmas digitis, viridesq; Smaragdos ?  
Sponsa quibus cunctis erat exornata decorè.

A 3

Turbaq;

Turbaq; Nympharum Sponsam comitata venustam,  
Ipsam vel Venerem poterant devincere divam,  
Duraq; blandidulis vel saxa movere vel Alpes,  
Vultibus, imprimis quam cognatusq; parensq;  
Læti ducebant mediam nova Sponsa, tenebas  
Tuq; vel imprimis medium quæ penè. Sed ecce  
Ordine Matronæ binæ binæq; sequuntur.  
Musica cessat; adest reverendus Pastor, & auctor  
Conjugii quis sit sacri, reverentia dicit  
Conjugii quæ sit sacri, benedictio dicit  
Conjugii quæ sit sacri quæ commoda, sortes.  
Annulus arrha datur rata copulat atq; recepto  
Conjungens dextræ dextram de more Sacerdos,  
Felicis & pro conjugio pia vota feruntur.  
Cantores recinunt sacris nova metra peractis,  
Atq; novi repetunt ædes lætante mariti  
Agmine, converso post ordine, namq; puellæ  
Cum Sponsâ præeunt, Sponsus reliquiq; sequuntur,  
Undiq; visendi studio lasciva juvenus  
Circumfusa ruit jactans cognoscere pompam.  
Excipit ad portas stans fronte satelles apertâ  
Poplite curvato cunctos, tacitusq; salutat.  
Singillatim ædes hospes scandendo jugales  
Conjugibus rursus dextras jungendo novellis  
Ordine gratatur, bona fata precatur, & addit  
Munera cum votis fidam testantia mentem,

Curaq;



Curaq; jam posuit famulorum provida mensas  
Et faciunt pueri, quicquid cocus imperat, alter  
Batillo hic retrahit crassâ de carne calores  
Alter aquam fundit, carbones suggerit alter  
Ignibus, hic ollas effundit, hic indit in ollas,  
Pars in frustra secant, veribusq; trementia figunt  
Viscera, pars mirâ è veribus trahit arte volucres,  
Quas alter gustat digitis petulantibus, alter  
Intingit fixos cultelli cuspide bolos,  
Alter spargendos jussus fert undiq; flores  
Resq; alias mæsis redolentes arva Sabææ.

Legatum illustrem & Sponsum loca prima petentes  
Mensæ, convivæ reverenti fronte sequuntur  
Omnes, discumbunt quivis moniti Archiministris  
Pro ratione sui mensas certo ordine circum.

Pòst Sponsam ad mensas ducit Paranympus, eiq;  
More dat antiquo loca prima decentia Sponsas.  
Heic demum videas reverentia quanta maritas  
Vexet, præ reliquis lateri se jungere nulla  
Sponsæ vult prima, & mavult tamen omnis haberi  
Prima, quod eventu satis attestante patescit.  
Objicit officium nimium tenue illa mariti,  
Lactandam hæc Sobolem, vocat ista itoito Magistrix  
Tu Magis, hæc, Doctrix, rursus hæc, tu sanguine Spõ-  
Juncta præi, sequar ipsa statim, & sic labitur hora. (sis  
Non inter teneras est tanta superbia, non est

Inquam,

Inquam, inter teneras reverentia tanta puellas,  
Scilicet est patiens & mollis ovicula multa  
Angusto contenta loco, tenuiq; quiescit.

Jam discumbentes tandem omnes, ordine lymphas  
Accipiunt manibus, fontem fundente ministro.  
Inde dapes lautæ preciosaq; fercula plenis  
Ponuntur mensis, quæ mox, precibus recitatis,  
Dividit in partes Sponsus, partesq; vocatis  
Ordine distribuit divisas omnibus, unam  
Si patinam vacuat, properat paranympus, & orbes  
Distribuit puros, hac & ratione ministrant  
Donec pulsa fames & amor compressus edendi.  
Ponunt ære graves famuli vinoq; refertas  
Cretensi phialas, & vitris lignea miscent  
Pocula præstanti zytho repleta, vicissim  
Evacuata cito fusuri pollice prendunt.

Sublatis epulis, primis mensisq; remotis  
En adsunt, iterumq; manus dant ordine lymphis.  
Vixq; novos nudis orbes posuere tapetis,  
Condimenta ferunt, quæ mensa secunda requirit.  
Postquam etiam hisce quies epulis, mensæq; secundæ  
Sublatæ, ad choreas cupidas duxisse puellas  
Debebant juvenes, sed publicus iste vetabat  
Instrumenta, sonum quemvis reddentia, luctus.  
Hinc teneris juvenes miscentur utrinq; puellis  
Ad mensam, genus atq; novum sibi fingere ludi

Tudiculâ

Tudiculâ incipiunt, fallant quò tempora Nymphis.  
Hoc etiam saturi ludo juvenesq; puellæq;  
Adscendunt junctis spaciofa palatia dextris,  
Ordine conglomeraunt, orbem faciuntq; rotundum  
Conjuncti bini juvenes mistæq; puellæ,  
Exercentq; novos, dat quos occasio, ludos.  
It strepitus tectis, risumq; per ampla volutant  
Atria, vix possint ut sese audire loquentes.

Pocula Magnates ponunt & vina coronant  
Interea, atq; jocis agitant convivia festis,  
Illita majoris pingui pice pocula formæ  
Tota bibunt, bini & binis ternive propinant  
Ternis, quin phialam de Illustris sæpe salute  
Principis evacuat quivis surgendo vel haustu.  
Convivæ reliqui partim dant tempora festis  
Colloquiis partim certatim pocula plenis  
Exforbent buccis, nec pes nec lingua præesse  
Ut queat officio, muti titubentq; per urbem,  
Sera nec expectent lautæ convivia cænæ.

Archimagiro iterum cænam instaurare jubenti  
Parere accelerant famuli, mensasq; ministrant,  
Laudato rursus discumbunt ordine, puras  
Dat paranympus aquas manibus, mensasq; paratis  
Plebs onerant epulis, sublataq; pocula reponunt.  
Stant mensis alii lychni, laquiaribus altis  
Incensi pendent alii atraper atria, lucem

B

Mon-

Monstrantesq; viris iter hinc errantibus inde.

Tandem jam subiit nocturna cubilia Titan  
Auricomus, suadentq; cadentia sidera somnos,  
Deducunt pueri Dominos ad propria potes  
Limina, subducunt se alii clam, tempus et indi  
Queis nondum voluit Sponsus concedere. Matres  
Amensis Gnatas vocitant, & tempora noctis  
Objiciunt, tandemne venis Catharina? Rosina?  
Margaris, Ursula, Dorothee? jam linquite mensas,  
O vos o juvenes nostras dimittite Gnatas,  
Cras iterum statuente Deo redeamus in horam  
Haut decet haut multam noctis vigilare puellas.  
Sic tandem juvenes iterumq; iterumq; rogati  
Concedunt ipsis Gnatas, sociosq; puellis  
Jungunt se, patrias quas & comitantur ad ædes  
Complexi manibus, meriti accipiuntq; corollam.

Jamq; Petit thalamum Sponsus, ducitq; venustam  
Amplexus Sponsam faculis præeuntibus, ordo  
Quos sequitur totus resonans modulamina Sponsis  
Grata novis, his & claudunt sua gaudia votis:

Sanxisti primus castum qui castus amorem  
Illicitasq; faces inhibes, jungatur & uni  
Una viro thalami confors vis alme Jehova,  
Posset ita humanum genus ut sobolescere, posset  
Posteritas celebrare suis te grata labellis:  
His cedat castis fac singula prospera Sponsis,

Quidquid

Quidquid amoris inest thalamo, quidquidq; lepôris  
Fac sapiant, sapiant fac dulcia vina Canæa.

Nunc age scande torum, quid adhuc Catharina mor-  
raris?

Quid juvenem torques? tangis pudibunda quid ora?  
Scande torum, tantiquæ ad basia grata vocaris  
Sponsi, quæ ad teneros tanti amplexusq; mariti.  
Sed bene habet: scandere novi nova stragula Sponsi,  
Adproperans & Hymen thalami sacra limina clausit.  
Carpitè legitimi nunc gaudia prima cubilis,  
Carpitè, inexpertos quidquid latet, ipsa voluptas  
Et concessa Venus, vos, gratia amorq; docebunt.

F I N I S.





№ 1996.

8

U

ULB Halle 3  
 002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.  
 nicht zu ermitteln!  
 28 a / 50 / 1996 /

U 8 17 M









B.I.G.

Farbkarte #13



tialis

ssimo, Flo-

E

- AUGUSTO

Studiofo.

HAERICII J.U.D.

norum Cancel-

vifs.

gente

umq; Virginem

NAM

UT JARII

& civis

7. Julii Anno

celebrata.

EMINGO

NO

Dörfferi.

XVIII.

146.  
164

